



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio IV. De actu externo & confeßione fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

nem, in hominibus autem iustis quomodo meritorius sit condignè aliàs probatum est.

Tertiò, est fundamentum totius meriti & radix æternæ vitæ, ut eam appellat Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 2. Quia scilicet sine luce illa Fidei cæca & imbellis est voluntas ad omnes actus supernaturales, cum illius solius sit proponere motiua supernaturalia quibus voluntas accenditur ad actus virtutum superantes naturam: quod tradit mirabiliter Apostolus *Hebraeorum* 11. Vbi describuntur Fidei victoriæ omnibus sæculis per sanctos relatæ. Differunt eleganter de hoc argumento Augustinus *serm. 10. de verbis Apostoli*, Cyrillus, Hierosolymitanus *Catechesi* 5. vbi ostendit quod illa sit oculus conscientiam illuminans & intelligentiam efficiens.

Quartò, Fides ita omnes in nobis efficit virtutes, ut ex duæ tamen maximè propriè oriantur timor & puritas cordis: ita probat S. Thomas *quæst. 7.*

Primò ex Scriptura quia dicitur in Epistola Iacobi cap. 2. *Demoni credunt & contremiscunt*, si enim Fides illa imperfecta, quæ in demonibus est, causare potest timorem quanto magis causabit illum Fides supernaturalis, proponens grauitatem peccati, & maiestatem infinitam Dei, effectus igitur proprius Fidei est timor triplex seruilis, filialis, reuerentialis, dum ingerit menti, Dei iustitiam, Dei bonitatem, Dei magnitudinem.

Secundò, de puritate cordis, quæ hominem ab omni etiam leui macula peccati liberat, dicitur Actuum 15. *Fide purificans corda eorum*, quia scilicet Fides tenebras expellit intellectus sine quibus non est peccatum, & est initium Charitatis in Deum per quam delentur peccata. Rationem denique optimam reddit Lorca quia per fidem tota causatur perfectio, eius autem initium est timor, finis autem est puritas cordis quæ non est nisi vnio cum Deo summè sancto, sicut enim vnio & mixtio cum rebus inferioribus, facit impuritatem & maculam etiam in corporibus, sic vnio cum rebus superioribus & maximè cum Deo est summa puritas, & sanctitas.

QVÆSTIO IV.

De Actu Externo & confessione Fidei.

Actus sensibilis, quo significatur externa Fides appellatur actus externus & confessio Fidei, de quo actu tria breuissimè dici posse video, primò vtrum pertineat ad virtutem Fidei, secundò quale sit præceptum tum affirmatiuum profitendi fidem, tum negatiuum, non negandi fidem, tertiò an & quomodo liceat profiteri alienam sectam.

SECTIO I.

Vtrum confessio Externa Fidei sit proprius actus virtutis Fidei.

S. Thomas, quæst. 3.

Ratio dubitandi est primò, quia non potest actus Fidei externus pertinere ad eandem Fidei virtutem si non imperetur ex eodem motiuo, sed non imperatur ex eodem motiuo, nam obiectum actus interni est mysterium reuelatum, & diuina reuelatio, obiectum verò actus externi est motus labiorum, ergo actus ille externus non pertinet ad eandem virtutem Fidei.

Secundò, in alijs virtutibus verba externa non sunt actus eiusdem virtutis cum actu quem significant, si

enim dicas te nolle inebriari loquutio illa non est actus sobrietatis, & si dicas te restituere velle alienum loquutio illa non est actus iustitiæ.

Tertiò, per solam externam Fidei negationem sine interna non amittitur habitus Fidei, neque censura incurruntur Ecclesiastica, ergo illud non est peccatum contra fidem, ergo externa illa confessio non est actus eiusdem habitus Fidei.

Dicendum tamen est confessionem externam Fidei esse verum actum virtutis Fidei, non elicatum sed imperatum à pia voluntate credendi. Ita docent Theologi omnes cum S. Thoma *art. 1.* Sed in explicanda ratione propria non conueniunt, quia cum Fides actus sit intellectus, non imperat actus externos.

Ratio tamen S. Thomæ optima est, quia scilicet actus externus Fidei potest imperari ab illa eadem pia voluntate, per quam imperatur actus internus Fidei, si potest habere idem motiuum, propter quod imperatur actus internus, sed habere potest idem motiuum, honestatem videlicet agnoscendi & testificandi supremam Dei veracitatem, quod sit vel credendo ea quæ dicit, vel testificando exterius te illa credere, vel quod eodem recidit, exhibere Deo cultum illi debitum ob supremam veritatem, qui cultus siue sit internus, siue sit externus eandem semper spectat Dei veracitatem, sicut eadem religio exhibet Deo cultum internum & externum propter infinitam eius excellentiam.

Altera ratio est, quia exterior loquutio est imago & representatio verbi mentis, ergo potest illa loquutio amari tanquam imago actus interni, & ita voluntas propter hoc motiuum amans illam loquutionem mouetur ex eadem honestate Fidei, sicut Charitate amantur etiam imagines Dei.

Ad primam Resp. eandem esse honestatem in actu externo Fidei, quæ in interno reperitur, est enim motiuum vtriusque testificatio diuinæ veracitatis, & cultus ei debitus. Fateor obiectum Fidei esse diuersum ab obiecto istius externi actus, sed assero tamen posse vtrumque illum actum, & vtrumque obiectum, amari à voluntate propter eundem finem, quatenus scilicet vterque actus testificatio, est primæ veritatis, & cultus ei exhibitus: idèoque idem omnino habitus voluntatis qui præcipit internum Fidei actum, potest etiam præcipere actum externum.

Ad secundam Resp. concedendo quod verba quibus significamus actum internum iustitiæ, & temperantiæ aut aliarum virtutum, per se loquendo non sunt actus illarum virtutum quarum actus significant, quia non eundem habent finem & idem motiuum: verba enim quæ significant actum iustitiæ, non ponunt æqualitatem cum iure alterius. At verò verba quæ significant actum internum Fidei, sunt cultus externus debitus primæ veritati reuelanti, atque adeò possunt amari ex eodem motiuo, & ad eandem virtutem spectare, quod si verba quæ significant actum iustitiæ amarentur tanquam imagines interni actus iustitiæ, possent etiam ad eandem virtutem reuocari.

Ad tertiam Resp. habitum Fidei ex natura rei debere perire, quando Fides negatur etiam tantum exterius, sed ex Dei tamen dispensatione manet, sicut non destruitur per quodlibet peccatum mortale: pendet autem ex Ecclesiæ voluntate quod qui seruans interiorius fidem, negat illam tantum exterius non incurrat censuras. Vnde concludo quod externa signa tunc tantum sunt actus Fidei quando ita exhibentur ut testificentur vera esse, quæ Deus dixit, & illa eadem tunc tantum sunt signa & peccata infidelitatis, quando ita exhibentur ut testificentur illa non esse vera quæ tamen proponuntur sufficienter ut à Deo dicta. Qui declarat alteri suam hæresim consilij tantum petendi gratia, non peccat villo modo contra fidem.

SECTIO

Conclusio
affirmans.

Ratio
S. Thomæ.

Solutio
primæ diffi-
cultatis.

Solutio
secundæ.

Solutio
tertiæ.

§. II.

An & quomodo actus Fidei externus sit praeceptus.

DVplex praeceptum distinguebam initio, alterum affirmatiuum obligans ad Fidem etiam exterius profitendam; alterum negatiuum, prohibens negari aliquo signo externo fidem. De utroque praecepto.

Prima dubitatio. Ratio dubitandi primò est, quia ille qui de sua Fide interrogatur filere potest, tergiversari, petere ne interrogetur, vel etiam æquiocis verbis uti, quomodo ergo dabitur praeceptum affirmatiuum Fidei confitendæ.

Secunda. Secundò, videtur absurdum dicere quod minimum mendacium voluntarium in rebus Fidei sit semper peccatum graue. Nam esto grauitur semper peccet, qui mentitur etiam leuiter circa dogma aliquod Christianæ Fidei, vel honorem Dei, vel integritatem morum, durum tamen videtur dicere, quod narrare historiam aliquam scripturæ cum aliqua etiam leui circumstantia falsâ, semper sit graue peccatum, si hoc fiat scilicet, & cum ignorantia culpabili, nam hoc est imponere Doctoribus onus grauissimum, dicere quod peccant mortaliter quoties historiam sacram narrant minùs fideliter, præsertim cum huiusmodi mendacium perniciosum non fuerit.

Tertia. Tertiò, sequitur quod fuga in persecutione illicita erit, quia illa videtur esse quædam Fidei negatio.

Præceptum affirmatiuum Fidei externæ. Dico primò, dari verum praeceptum diuinum affirmatiuum obligans singulos ad confitendam exterius Fidem, quod non obligat semper, sed tunc tantum quando exigit honor Dei & utilitas proximi.

Ratio est, quia clara est autoritas Apostoli cap. 10. ad Romanos: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris saluus eris, corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* quod explicans Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 1. *Fides (inquit) officium à nobis exigit cordis & linguae, quia quilibet postulans baptismum eo ipso fidem proficitur, & dum vivit tenetur fidem suam profiteri.* Deus videlicet Ecclesiam suam visibilem esse voluit, nec sit visibilis nisi per professionem Fidei sensibilem: adde quod eam etiam exigit aliquando debitus prima veritati honor quando aliquis interrogatur de sua Fide, & interdum etiam ad eandem confessionem externam obligat utilitas proximi, v. gr. si teneat instruere proximos eos qui mysteria Fidei ignorant, & hoc facere non possum nisi profitendo fidem, similiter si videam contumeliosè ab aliquo tractari fidem quod videam impediri à me posse confitendo fidem, tunc enim obligor haud dubiè ad eam confessionem. Duo igitur sunt casus in quibus teneor fidem confiteri si exigit honor Dei & Fidei, si postulet utilitas proximi.

Præceptum negatiuum non negandi Fidem. Dico secundò, dari praeceptum negatiuum omnes omni loco, & tempore obligans ad non negandam aliquo signo externo Fidem.

Ratio est primò, autoritas expressa Christi Matthæi 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum.* Deinde negare fidem est negare verum esse id quod Deus dixit, atque ita est dicere Deum mentiri, neque dicas, ille non negat Deum esse veracem qui negat Deum aliquid dixisse, nam ille adhuc potest affirmare Dei veracitatem; sed cum Deus dicendo aliquid testificetur se dicere ut sæpè dixi, certè qui negat Deum aliquid dixisse negat Deum veracè esse. Non est ergo dubium quin illud praeceptum grauitur

omnes obliget, omni tempore ac omni loco cum sit prohibitio rei intrinsecè mala.

Ad primam Respondeo esse controuersiam aliquam inter Doctores utrum ille qui interrogatur filere possit, tergiversari, & æquiocis verbis uti. Mihi autem dicendum videtur cum Suare, Sanche, De Lugo, Hurtado, Granado, Coninck, primò quidem quod nunquam ille qui de sua fide interrogatur potest negare fidem aut æquiocis verbis uti quæ ab audientibus accipi possent ut negatio Fidei, hoc enim est contra praeceptum negatiuum de quo dixi. Deinde silentium & tergiversatio prorsus sunt illicita quando fiunt in talibus circumstantiis in quibus æquivalent negationi, vel erubescentiæ Fidei, tunc enim teneor omnino fidem profiteri: si verò silentium explicari potius debeat, contemptus interrogantis quàm erubescentiæ Fidei, tunc filere possum aut tergiversari, & hoc totum iudicari debet ex circumstantiis: nam quia crebrius contingit ut si iuridicè sis interrogatus à persona publica, silentium tuum reputetur erubescentiæ, idèò contingere rariùs potest, ut à iudice interrogatus licitè possis filere, quàm si à priuata persona interrogaris, quoties ergo tunc filebis quando silentium tuum ex circumstantiis æquialebit negationi, vel erubescentiæ, toties peccatum erit graue contra praeceptum affirmatiuum confitendi fidem, & magna dehonoriatio Dei ac Fidei, quod certum est posse sæpiùs contingere.

Ad secundam Respond. communiter asseri à Doctoribus, quod in rebus pertinentibus ad fidem omne voluntarium mendacium est peccatum mortale, sicut nullù periurium esse potest leue peccatum. Deinde quia talis concionator inducit alios ad credendum Fide diuina id quod credi non potest, quod est graue malum, sicut si populo proponas adorandam hostiam non consecratam. Conatur illis argumentis respondere de Lugo *disput. 14. sect. 3.* Qui nec tamen asserere audeat leuitatem horum mendaciorum, quamuis satis significet se ita sentire, asseratque Salam in Manuscriptis, & Emanuele, Sa verò mendacium, quod sufficere videtur ut hæc sententia non sit omnino improbabilis. Sed est tamen certum ex Sanches *lib. 2. in Decalogum*, Nauarro & alijs quod mortaliter illi peccant, qui falsâ fingunt miracula, vel etiam gesta sanctorum deprauant.

Ad tertiam Resp. illos qui fugiunt in persecutione, nullo modo peccare contra praeceptum Fidei, cum disertè id asserat Christus, qui etiam non semel fugit. Eadem doctrina confirmatur ab omnibus Patribus, & idem plurimi sæpè Martyres fecerunt, quia scilicet hoc est profiteri fidem, non autem illam negare, si tamen aliquis Pastor eo tempore fugeret quo in periculo essent oues negandi fidem, tunc fuga illa esset peccatum.

SECTIO III.

An & quomodo liceat simulare alienam Sectam.

VSurpare ritus eos, quibus videtur fieri professio falsæ religionis, est simulare alienam sectam quod esse licitum aliquando solus inter Theologos asserit Hadrianus & videtur esse sententia sancti Hieronymi quam non esse omnino improbabilem docet Valentia *quest. 3. p. 2.*

Ratio dubitandi esse potest primò, quia permittit Helizæus Naaman Syro conuerso ad fidem, incuruari ante idolum & simulare adorationem.

Secundò, fideli transienti per terras infidelium, & periclitanti de vita sua, licitum aliquando est vesci carnibus in quadragesima.

Tertiò,

Ille qui interrogatur an possit filere.

Leue mendacium in rebus Fidei est peccatum graue.

Fuga in persecutione.

Tertiò sæpè potest esse licitum assumere vestes quibus vtuntur infideles vt distinguantur à Fidelibus.

Quartò, sacramenta non est aliquando illicitum sumere cum hæreticis, nec eorum adire templa interesse concionibus, quod est tacitè profiteri eorum sectam.

Conclusio.

Dicendum tamen est, nemini vnquam licere ita simulare alienà sectam vt videatur illam profiteri: vnde neque licet vsurpare illa signa, quæ instituta sūt ad significandum cultum falsæ religionis: alia verò signa quæ alium finem habent quam cultum falsæ religionis sine peccato vsurpari possunt, tamen si propria sint infidelium. Ita docent vt dixi Theologi omnes contra Hadrianum.

Ratio vniuersim est, quia negare Fidem etiam externo aliquo signo, semper est intrinsecè malum vt dixi, alienam autem sectam ita simulare vt videaris illam profiteri est negare Fidem externo aliquo signo, ergo illud nunquam licet, tunc autem videtur aliquis profiteri sectam quampiam quoties aliquod vsurpat signum cuius alius non est finis, nisi professio talis sectæ. Huiusmodi signa sine dubio sunt verba etiam æquiuoca quibus aliquis verbi gratia exterius diceret se Turcam esse vel Caluinistam, verba enim illa instituta sunt ad significandam falsam religionem.

Adoratio
Idolorum
quomodo
simulari
possit.

Ad primam ergo Respondeo semper esse peccatum graue adorare Idola, incensum illis adolere, & demum illas vsurpare caeremonias quibus significatur determinatè cultus falsæ religionis, secus autè si hæ caeremoniæ possent habere finem aliquem licitum, vt quādo Nahaman famulabatur Regi suo adoranti Idola, & genu cum illo flecebat, nam hoc non erat obsequium præstitum Idolo sed tantum Principi. Probant assertionem hanc fusissimè Suares *l. 6. defensionis c. 9.* & sæpè alibi; Sanches *lib. 2. moralis operis cap. 4.* & ratio vniuersim est, quia illi ritus determinatè significant negationem Fidei.

Comestio
carnium
quando
illicita.

Ad secundam Respondeo quod comedere carnes diebus ab Ecclesia prohibitis est aliquando illicitum fidei traseunti per terras infidelium, sed est tamen sapissimè licitum. Illicitum est primò si tyrannus præciperet in odium Fidei, & in contemptum legis Ecclesiasticæ vt carnes comederes, quod etiam probat exemplum pulcherrimum Eleazari & Machabæorum. Secundò est illicita comestio carnum si timeatur duntaxat irrisio non autem mors. Tertiò quando dicerent hæretici explorare se velle per carnum esum, vtrum ex adstantibus, aliquis esset Catholicus, tunc peccaret qui comederet carnes, negaret enim se Catholicum esse.

Quando
licita.

Sapissimè tamen licita est carnum comestio, primò si nullus alius cibus suppetat, si ægrotas & carnis egeas: secundò si periculum vitæ incursum sis deprehensus ab hæreticis esse Catholicus, absque scrupulo comedere potes. Tertiò idolothyris eadem est ratio, licet enim etiam sine necessitate illis vesci, modo non adsit scandalum, nec videaris idololatriis cooperari, aut adorare falsos Deos. Si enim eos cibos tyrannus porrigeret in signum honoris Idolo exhibendi esset illicita comestio huiusmodi ciborum.

Vt vestibus
infidelium
quando
sit licitum.

Ad tertiam Resp. aliquando esse peccatum assumere vestes quibus vtuntur infideles à fidei, sed aliquando tamen esse licitum. Primò enim licitum est non raro, vt vestibus quæ ad aliquem finem politicū infidelium sunt propriæ qualis apud Turcas alba est tobalia, quam gestare solis licet Turcis, & alicubi Iudæi ex flauo dignoscuntur pileo. Huiusmodi autem assu-

re vestes non esse licitum probant Sanches, Suares, Coninck, Azor, Becanus, De Lugo: contra Caietanum, Nauarrum, Toletum, quia si hoc esset peccatum peccarent Iudæi & Turcæ dum gestant huiusmodi habitum, atque ita Pontifex peccaret qui Iudæis præcipit vt ea veste vtantur. Deinde cum vestes non sint ex natura sua ordinatæ, ad significandam hanc aut illam religionem, potest qui vtitur illis assumere sibi finem optimum, neque tamen inde sequitur quod alicui liceat dicere se esse Turcam, etiam vtendo vocibus æquiuocis quia voces ex sua natura diriguntur ad significandos animi conceptus quamuis deinde singulares voces ex instituto significant. Potest ergo Christianus transiens per Turciam vti habitu Turcico, & licitum est apponere in nauibus Turcica vexilla, quibus Turcæ, vel alij decipiantur.

Secundo.

Secundò licet etiam in grandi periculo vt vestibus illis quæ sunt institutæ ab infidelibus ad profitendam falsam sectam, modo tamen ex eo vestium vsu non appareat, quod Fidem negauerit ille qui vtitur. Ita docet Sanches & De Lugo contra Toletum, Lopez, Aragonium, Nauarrum, Castro, Palao. Ratio est quia illa institutio infidelium non potest mutare vestium naturam quibus vti homo potest ad diuersos fines. Neque sequitur licere aliquando iis vestibus vt quæ sunt institutæ ad significandum cultum falsorum Deorum, vt si sint vestes quibus vtuntur in sacrificiis, si gestent imagines Mahometis, conueniunt enim omnes quod hoc sit illicitum, quia semper malum est falsos Deos colere, huiusmodi autem vestes, quodam sunt genus cultus falsorum Deorum, neque dici potest quod vestis illa maneat indifferens ad bonum finem, quia si per expressam formam aut imaginem determinetur non manet indifferens.

Tertiò.

Tertiò, licitum est Christiano inter infideles versanti deponere vestem aliquam aut signū, quod infidelium sit proprium, vt eo modo dissimulet se esse Christianum, modo absit scandalum, & aliunde præceptum confessionis Fidei non obliget, quia lex illa purè humana non potest obligare cum periculo vitæ. Ita docent Suares Sanches, & alij supra relati.

Ad quartam Respondeo quod sacramenta sumere cum hæreticis nunquam licet extra casum necessitatis: verbi gratia non potest baptismus ab hæretico peti sine necessitate, neque suscipi sacramentum Eucharistiæ. De sacramento matrimonij dictum alias est, certum autem est, quod coram ministro hæretico contrahere nunquam illud licet, non est tamen illicitum interesse nuptiis hæreticorum, aut etiam exequiis hæretico ritu celebratis, potest etiam Catholicus patrinus esse pueri hæretici, quamuis non possit filio suo accersere patrinum hæreticum.

Sacramenta cum hæreticis sumere.

Denique templa hæreticorum adire, interesse illorum concionibus, non est illicitum modo ex circumstantiis non appareat illam esse professionem falsæ Fidei. Si verò tacita esset hæresis professio, illa esset illicita, dicitur autem talis esse professio in Anglia quando Catholici ad redimendam vexationem qua ex Regio edicto premuntur nisi hæreticorum adeant templa. Hoc enim esse illicitum optime probant Sanches *lib. 2. cap. 4.* Suares in defensione Fidei *lib. 6. cap. 9.* De Lugo *disp. 14. §. 171.* Coninck *disp. 15. dub. 3.* Sumere verò Cœnam cum hæreticis in nullo vnquam casu esse licitum, hinc constat quia illa est vera hæresis professio.

Hæreticorum adire templa.

QVÆST.